



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 25. A Callisto III. aduersus Turcas communita S. Domus Barbaros
alios vertit ingenti clade percultos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

sia Antistitem Recinetensem; si quid eorum in posterum
 distrahere, aliosue in vsus conuertere ausus foret, sin au-
 tem vendita iam, ac distracta intra viuis mensis spatium,
 non recuperaret, Episcopatu deiciens. Ciuitati insuper
 Recinetensi eodem diplomate negocium datum, vel re-
 cuperandi Lauretana dona, vel tuendi. Nec pace solum,
 sed bellico etiam tumultu, insignis Nicolai Pontificis pie-
 tas in Lauretanam sedem enituit. Sub id tempus Maho-
 metes Turcarum Rex Constantino Palæologo Orientis
 Imperatore cæso, Constantinopoli vi capta, fædeque di-
 repta, Turcici sedem imperij transtulit in Europam, anno
 post Christum natum M. CCCC. LII. Ergo, vt Cō-
 stantinopolim Christiani Imperij arcem à barbaris captā,
 Imperatorem ipsum cum nobilitate cæsum, Turcarum Re-
 gem tanta victoria inflatum ex propinquo insultare Græ-
 ciæ, minitari exitium Italiæ fama tulit; enimvero tantus
 Christianis viribus terror incessit, vt tota Italia trepida-
 tum sit. Itaque Nicolaus satis memor Aedis Lauretanæ,
 eam aduersum barbarorum excursions satis firmo præsi-
 dio munit: & simul in hostem omnibus viribus consurge-
 re parat eius rabiem compressurus.

S. Anto. p. 3.

Constanti-
nopolis à
Turcis cap-
ta.

*A Callisto III. aduersus Turcas comuunita Domus,
barbaros alio vertit ingenti clade percussos.*

Cap. XXV.

S. Anto. p. 3
Plat. Callist.
III.

Callisti III
beneficia.

CAeterum Nicolao in ipso apparatu, ac meditatione
 Turcici belli ex moerore, vt ferunt, extincto succes-
 sit Callistus Tertius. Is, quia fama erat, Turcas victoria
 vsos magna Peloponnesi, Epirique parte in suam ditionē
 redacta, in Dalmatiam, atque in ipsam Italiam furore ac
 rabie instinctos rapi; nihil habuit antiquius, quam vt Lau-
 retanam Domum tutaretur, haud dubius quin illa salua,
 Deiparæ præsidio cætera in Italia salua essent futura. Igi-
 tur

tur Rodericum Borgiam fratris, & L. Ioannem Milianum fororis filios cum Legatorum Pōtificiorum munere, ac nomine, copijs præficit. Horum alterum in Picenum, Lauretana Domo præcipue eius curæ demandata, alterum Bononiam è vestigio destinat. Veniunt ambo Legati cum suo vterque exercitu Lauretum; ibi pacem, veniamque à Deo, Deique parente comprecati sacram Aedem à muris, & propugnaculis nudam tumultuario opere aggeribus cingunt. Cæterum B. Virgo, tametsi Pontificis, Pontificiorumque Ducum erga se voluntatem minimè aspernata; suam ipsamet cælesti ope protexit domum, Turcarum rabie alio auersa, domitaque. Quippe per id tempus Pontificia classis non magna, duce Patriarcha Aquileiensi, Asiæ oras felici ausu, euentuque populata, effusum Barbariæ impetum fregit. Turcica classis acie victa, pleræque triremium captæ. Usuncassanus insuper Persarum Rex, Callisti instinctu, Turcarum fines infesto agmine ingressus, egregias reportauit de superbissimo hoste victorias, non tam humana vi (vt ipsemet litteris ad Pontificem datis professus est) quam ope diuina. Ioannes quoque Hunniates Præfectus Vngariæ per eadem ferme tempora Turcas Belgradum Vngariæ oppidum nobile, maximis copijs ac viribus obsidentes adortus, non magna militum manu ingentem eis intulit cladem. Haud humanæ opis res visa. Ioanne Capistrano viro sancto ex Franciscana familia Christi crucifixi signum inferente, barbari fusi, cæsi que. Mahometes ipse Turcarum Imper. vulneratus. Nec obscurum Dei auxilium fuit; tam insignem victoriam ipsi belli Duces diuino numini acceptam retulere. Itaque tot, tantæque de præpotenti hoste victoriæ omnium consensu diuinitus partæ, ad bene de Rep. sperandum Christianorum animos erexerunt. Haud parua deinde dictures, & spem piorum auxit, & S. Mariæ Lauretanæ nomen toto pene Christiano orbe propagauit.

S. Anto. p. 3.
Sabel. Ann.
10. lib. 6.

Sani-